



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XXXV. Sancti Patris Benedicti. M.LV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

cessitudine sese mutuo & arcè complectantur.

*S. Petrus
Faventis
Montis Co-
ronae Asceta.*

Ipsò anno, felicissima morte vitam hanc ærumnis plenissimam abrupit, Beatus Petrus Faventis Montis Coronæ Monachus, exemplo vitæ sanctissimæ sæculo huic, uti & potenti admodum apud Numen patrocinio utilissimus. Fuit is miro vitæ rigore sui corporis hostis juratus, in rerum coelestium contemplatione assiduus, in charitate perfectus, omni virtutum genere cultissimus, sydus revera lucidissimum obscurissimi temporis & ætatis. Huic morti proximo, cum sancti facultas, violentiæ morbi ablata esset, paulo ante supremum vitæ anhelitum, restituta fuit, cum illam inter silentij diuturni moram, gravissimo conflictu, quod multis sanctissimorum virorum contigit, cum Dæmonibus depugnasset. Solutâ proin linguâ hilaris in ea quamprimum plena plausus suprema sibi verba prorupit: *Ego vici, ego vici, ego vici. Te DEUM laudamus, Te Dominum confitemur.* Mox Fratribus Cantici ejusdem cætera prosequentibus, cum sine Cantici Petrus finem vivendi fecit, felicemque animum & gratulandum ad Creatorem transmissit. *Lucas Rubensis, Hist. Mont. Coronæ &c.*

*Henrico
VIII. Angl.
Regi con-
tradictus*

In Angliā admiranda nostrorum cælo se probat Constantia, dum similimo Luciferi lapsu, pari superbia & stultitia Henricus VIII. Britannia Rex, in omne jam genus scelerum Præcepsum sibi Jus in Ecclesias arrogat, secumque ipse, tanquam summus Pontifex, in alterâ legitimæ superinducenda conjugæ dispensat, omniâque jura Ecclesiastica violat, nostris palam ejus improbitatem damnantibus, in quos ipse horrendum debacchatur, infandis deinceps Sacrilegijs, impudicitijs, parricidijs, manus totamque vitam contaminans, ac nomen Regium turpissimè polluens, nostris omnes sibi illatas injurias, excussiones, rapinas, exilium, mortem ipsam patientissimè tolerantibus, cæloque ipsi sese probantibus & commendantibus. *Ex veterum Anglic. Scriptoribus, Sanderò Mayhōw &c.*

In superiore æque atque inferiore Germania, quanto alijs & alijs locis, Hæresis & cum hac, ipsò Luthe-

ro teste omnia scelera invalescunt, tanto magis defudant præstantissimi diverforum Monasteriorum Abbates, in evertendis impijs dogmatibus, & in sacra passim Reformatione prolata. Certe Joannes Turbeyt Scheurenensis Cænobij in Bavaria Abbas, Alberto Bavaria Duci, ob egregias Virtutes intimè charus, Principis usus benevolentia & gratiâ, Reformationem passim in plurima omnino Cænobia introduxit, & immortaliter de Ordine meruit, litterarum non minus studia, quam pietatem promovens, quibus Religiosos, ad ridendos & exulfandos Hæreticorum assulus obarmaret, & Catholicum populum in fide confirmaret. *Ex monim. Scheuren-sibus.*

*Joannes
Abbas in
Schiūm.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXV.
Sancti Paris Benedicti. M. LV.

Venerandi primi Societatis Jesu Patres denuo apud nostros in Monte Martyrum prope Parisios solemnem Votorum professionem congeminant, iterum die Assumptæ Magnæ Matri Virgini sacrâ & solemnem, eadem profus præparatione, ceremoniâ & devotione. *Ita Petrus Ribade-neira.*

*Conge-
nant pro-
fessionem
Patres So-
ciet.*

In inferiori Germania splendidissimum sane illucescit sydus, percellitque omnium oculos & animos, ipsiusmet etiam Augustissimi Cæsaris & Hispaniarum Regis Caroli V. & fratris ejusdem Ferdinandi Regis Venerabilis Vir Ludovicus Blofius Abbas Lætiensis, qui sub hoc ipsum tempus insignem meditabatur & Divino sanè dictante Spiritu fundabat Reformationem. Is Gerardo de Blois Domino de Jumigny, & Catharina Domina de Donsteene familia Barbenfonia pijs Parentibus natus, Gerardi de Freslong & Margaritæ de Cuveliers nepos, inter Ephebos Caroli V. Imperatoris adolevit, ipsi charissimus, ut qui egregia semper ediderit specimina magni ingenij & admirandæ in juvene virtutis. Litterarum studijs à puero deditissimus fuit, sed pietati ante omnia, ut in Aula etiamnum degens sanctitatis speciem præferret, à qua absolutus, cura magnos à Cæsare favores & honores sibi certissimos polliceri posset, nullos omnino quam Regis Regum

*Ven. Ludo-
vici Blofi-
us Abb. Læ-
tensis.*

*Ejus nata-
les.*

IESU

*Fit Mona-
chus Lati-
ensis.*

Jesu Christi, Amoris Crucifixi ex-ambijt, & ut mereretur, ejus Crucem cumque ipso configi elegit, paulo post ad Monasterium Lätienſe se conferens, atque ibidem sacro Tyrocinio generose superato, Monasticen professus; ibi se totum lectioni, Meditationi & librorum scriptiori dedit, mirè in omnibus prodente se Numinis gratiâ, ut scripta non aliter ejusdem, quam Melliflui Doctoris Bernardi, melle & lacte fluerent, adeo ipsidem capto & recreato amantissimo Juvenis Casare, ut libellos ab eo scriptos in delicijs haberet, & inter thesauros numeraret, tantopere ad eosdem affectus, ut secum quacunque pergeret deferret, & magno cum gustu assidue legeret.

*Cavalus v.
Imp. Blo-
sij libellos
suis cir-
cumfert.*

Et vero simillimum, eorumdem lectione, amorem Viræ Religiosæ imbibisse, ita ut postea, toto obstupescente orbe, Imperium & tanta Regna, omnia abdicaret, & Monasterio se includeret, tantum Bloſio deberet tantus Imperator. Nec dubium, in Canobio multo magis libellos illos in consilium vocasse, cum Imperator etiamnum, non aliter atque Magnus Alexander, Homeri Iliadem in Narthecio, sic ipse in sinu Imperatorio condidisset ac circumtulisset. Ipsum etiam tanti Aegidius Gippus Antecessor fecit, ut Juvenem etiamnum sibi jam Grandævo Coadiutorem assumeret, idque communi Religiosorum omnium Lätienſis Monasterij assensu & gratulatione, cui, biennio post, demortuo, summo omnium plausu & Augusti maximè Ipsiusmet plausibili approbatione successit. Mox magna aggressus, minime contentus eâ quam repererat honestissimâ aliâ disciplinâ, adeo præclare ipsam in sublime provexit, ut Lätienſe Canobium, nulli secundum totâ Germania superiore & inferiore haberetur, suos primævo quasi fervore Ordinis accendens, quo ipse adeo exarsit, ut admirandus sanè omnibus haberetur. Eum brevi, & digno elogio in Operum ejus Præludio, sic Jacobus Froyus commendat & celebrat:

*Laudes
Bloſij Ab-
batis.*

Fuit, inquit, exalto judicio, moribus integris, in victu sobrius, in cultu frugalis, obivus & expostus etiam infimis, alacer & humanus in excipiendis hospitibus; in egenos omnes ac eos præcipue, qui vel Religionis, vel eruditionis nomine, commen-

dabantur, benignus ac liberalis, sibi perpetuo constans, & in medijs negotiorum undis, adversitatum procellis, oleo, ut dici solet, tranquillior. In rebus agendis dexter & felix, sagax & prudens in conspectu filijs dandis. Tam vero fuit creber, ne dicam assiduus, in oratione, Divinarumque rerum contemplatione, quàm indefessus in lectione, studioque sacrarum literarum, quibus totum ferè tempus, quod à sacrorum pensis erat vacuum, dare consueverat. Sed de tanto viro, alia suis locis.

Felici exitu vitam terminat Venerabilis vir Paulus Annicola Cella veteris Abbas, vir eruditus & zelosus, egregius Christi pugil, qui multos tractatus scripsit contra Lutherum, de votis Monasticis, de SS. Missæ sacrificio, de Jejunio, de Invocatione Sanctorum, de una specie sacramenti, de auctoritate Romani Pontificis, de Operum meritis, de conjugio Sacerdotum prohibitio, pluraque alia, tanti viri Zelum comprobantia, & magnam commendantia eruditionem.

*Paulus An-
nicola Ab-
bas.*

In Gallijs diversarum Ordinis Benedictini Congregationum cœlos terrasq; demeretur fervor, aliaque inter Cœlestina verè cœlestis, insignia edit exempla eximia sanctitatis, è qua hoc ipso anno cœlestibus inserendus Empyreï cœli syderibus evocatur sanctæ memoriæ Petrus Bartius. Hic sanctissimi Patriarchæ nostri B E N E D I C T I filijs in Cœlestinorum Canobio Parisijs accensus, varios postea honores & sanctitatis & eruditionis eximiâ famâ meruit. Ipsum à perfectionis studio aggressus abducere Caodæmon, ipso in Tyrocinio, horrendis larvis & spectris sapius exterruit, frequenter etiam atrocius tractavit, pugnisque ac flagris horrendum afflixit: cum ille jejunijs, vigilijs & orationibus, Magni Antonij exemplo & cohortatione, infensissimi hostis injurijs atque insidijs constantissimè obniteretur, & stupenda patientia, summos inter dolores, DEI assiduis laudibus semet solaretur, Contemplationis studio addictissimus fuit, in qua Divina patiebatur, semelque in spiritu raptus, facie admodum splendidâ à Fratre visus est. Infirmos, de quibus constare poterat, duos, sanitati prodigiôsè restituit. Paupertati diligentissimè studuit, ita quidem, ut lacernis detritis, ad usus pauperum semo-

*Ven. Petrus
Bartius
Cœlestinus.*

*Caodæ-
moni odio-
sissimus.*

*Miracula
ejusdem.*

femotis, libenter indneretur. Semel Lugdunensis Cænobij, Parisiensis autem quinquies, Prioris nomine Magistratum gessit. Provincialis etiam, ut sacri vocamus, munere ornatus anoneratus, Parisiensis insuper amplissimæ Dioceseos Monasteriorum Vistorator, ab Episcopo designatus, honores illos ut summâ utilitate, sic infimâ humilitate, præclarissimè gessit, ipsique ornamento fuit, oblatam Episcopatus præcipuam dignitatem, ut admitteret, persuaderi nulla ratione potuit, seu generosissimo animo, & constantissime recusavit. Eum magni fecit Ludovicus XII. Galliarum Rex, & præcipuè coluit, multa illi arcana detexit, & interdum animi sordes, peculiarari confessione apud ipsum egressit. Obijt Parisijs cum magna sanctitatis opinione hoc anno, in Capitulo ibidem tumultus. *Ex Historia Celestina. Hugone Monardo &c.*

IESU CHRISTI ANNI S.M.D.XXXVI.

Sancti Paris Benedicti. M. L. VI.

Anglia, innumeris olim sanctorum Benedictini Ordinis Confessorum manipulis florentissima sub Apostata Regis Henrici octavi truculentissimo Imperio, gloriosissimorum vicissim Martyrum Triumphis redditur fecundissima, tam pretiosâ nimirum sanguinis inundatione impinguita. Memorat Chrysostomus Henriquezitus, ex sola sacra Cisterciensis Congregatione nostra, innumerable Religiosos propter fidem crudeliter interemptos, quorum, inquit, nomina novit ille, qui coronâ immortalitatis milites suos in æterna patria glorificat, ut ex hoc ipso pateat, quanta victimarum Deo sacrarum ex alijs nostri Ordinis familiaribus, multitudo ceciderit, & ex Congregatione maximè Nigrorum sive Cluniacensium, cum horum Monasterijs Anglia, Scotia, Hibernia plenissimæ fuerint, eademque viris Religiosis Virginibus longè frequentissima, omnia omnino pessumdante singulari fero illo & Apro turpissimo, omneque inde aurum & argentum rapiente, & in suos usus sacrilegè converte. Cæterum, Lanienam quod attingit, alios inter hoc ipso anno Richardus Wohintingius, celeberrimi illius Glastenburiensis Cænobij Abbas cum

vero Christi Vicario fidelitatem abrenunciare constanter renueret, & creatum à se ipso Ecclesia caput Henricum Regem adorare una cum Fratribus quos secum adduxerat, Joanne Torne, & Rogero Jacobo, absque ulla misericordia cum ipsdem ad supplicium raptus, in patibulo suspensus, inde semivivus depositus, & in quatuor sectus partes, glorioso Martyrio est consummatus; cæteris pari constantiâ supplicium idem subeuntibus. Simili omnino morte, & coronâ eodem anno digni à Deo habiti sunt duo alij Abbates Reverendissimi Wahlhenfis & Saulienfis, & Guilelmus Hadoe & ipse Wahlhenfis Asecta, ita ut nullo unquam sæculo (quod ex Annalibus nostris Benedictinis liquet) nostrorum, desideraretur magnanimitas & Generositas, ad Fidem Catholicam etiam cum proprio sanguine asserendam & consignandam, quorum hic exempla paucissima pro sexcentis producimus, ut etiam perditissimo hoc ævo incomparabilem ex tot Martyrum triumphis Ordinis nostri & Benedicti in suis Redivivi gloriam celebremus. Pari felicitate coronas & laureas similes consequuti, duo alij etiam Abbates, Riverienfis & Fontanenfis, ut ex una unius anni dignissima fertilitate, cæterorum etiam copiam facile metiaris, & ab exemplis tot Abbatum, piam tot Conventuum & Religiosorum Cætuum æmulationem & ad supplicia eadem præparationem poteris æstimare. Sed præ omnium constantia enituit imperterritus atque insuperabilis Vitiugi nostri Glasconiensis Anastitis animus, qui qua erat eruditione, eloquentia & auctoritate, velut murum pro Domo Dei impiissimi sese Regis conatibus, & contra Ecclesiasticam libertatem Sacrilegij opposuit. De cuius, ut & Hugonis Feringdoni, Redingensis, & Joannis Beci Cloceitrensis Abbatum, nec non Ruggi, Ononique Monachorum Presbyterorum gloriosissimo agone & morte, consulendus Clemens noster Reimerus, in Apostolatu Benedictino Angliæ.

Extinguitur hoc ipso anno expectatissima sibi morte Beata memoria R. P. Petrus de Burgos, intimus quondam Amicus, & velut alter Achatas Viri sanctissimi Garzia de Ciferos Con-

Socij eiusdem Martij.

Duo alij Abbates Martyres.

Vitiugus Glasconiensis Abbas.

Plures alij.

Ven. Petrus de Burgos Montserrat obiit.

Manni fir
id. e. Lud.
XII.

Martyres
in Angliæ.

Richardus
Abbas &
Martij.